

horæ effluxerint ab ortu solis, inuenio distantiam solis ab horizonte ex parte occidentis 6. grad. locum eius in primo gradu tauri; quibus positus ad tertium parallelum in Astrolabio bipartio, noto per lineam fiduciæ partem oppositam soli, quæ est primus gradus scorpij, & ostendit mihi in margine tympani hor. 11. & præterea aliquot partes, quas noto per punctum: diuiso nunc toto spatio, quod est ab 11 ad 12. in 12. partes æquales, inuenio spatium usque ad nadir solis esse 3. part. qualium totum spatium continet 12. Dico ergo: 3. sunt quarta pars ad 12. Cum igitur una hora contineat 60. minuta, quarta pars ad 60. eruet 15. concludo ergo tunc esse hor. 11. ab ortu solis & præterea 15. min. Cum ergo sol oriatur hic Viennæ hodie circa quintam matut. & occidat circa 7. vespertin. erit hora quarta P. M. & 15. min.

HORAM INÆQVALEM NOCTVRNO

quouis tempore inuestigare, Propos. XIII.

Altitudine alicuius stellæ fixæ notæ inuenta & ad suum parallelum affixa, pone lineam fiduciæ, immota aranea super gradum, in quo sol tunc versatur, & ostendet tibi in margine tympani horam inæqualem noctis. Exempli gratia, sit altitudo arcturi hodie noctu supra horizontem ex parte orientis inuenta 58. grad. quam statuo ad parallelum 29, & linea fiduciæ posita super primum grad. tauri, in quo sol tunc versatur, ostendit 5. hor. noctis, hoc est 5. hor. ab occasu, paulo minus. Cum autem sol occidat hodie hora 7. erit hora 12. ferè noctis artificialis. Quod si Regula non tangat præcisè terminum horæ inæqualis, elice partem proportionalem, uti superius ostensum fuit. Sed nota 1.º quod in altitudine alicuius stellæ sicut etiam solis videndum est num sit altitudo ex parte orientis, an verò occidentis; quia illa inter parallelos ex parte orientis, hæc ex parte occidentis est statuenda. Nota 2.º Quod cum hora inæqua-

inæqua-